

SZENCZI MOLNÁR ALBERT LEVELEI CAMERARIUSHOZ ÉS LEODIUSHOZ.

Szenczi Molnár Albertnek kevés levele maradt reánk. Ő a hozzá írt levelek nagy részét gondosan megőrizte, de az ő leveleinek nem tulajdonítottak hasonló jelentőséget s így azok nagyobb része elkallódott. Az itt közölt hét levelet a müncheni királyi udv. és állami könyvtár kézírattárából közöljük. Különösen abból az időből vannak benne Molnárra vonatkozó életrajzi adatok, a melyben legkevesebbet tudtunk róla. Az első levélből megtudjuk, hogy Bethlen Gábor könyvek fordítása és kiadása végett hívta őt haza, segítőtársakat is ígér neki s e végett a gyulafehérvári nyomdát is rendelkezésére bocsátja. Egy másik levélből kiderül, hogy családjával nem ment el Gyulafehérvárra: ezt a fejedelem zokon is vette tőle s ekkor Gyulafehérvár helyett Kassát jelölte ki működése helyéül. Ismét egy másik arról értesít, hogy 100 forint honorariumot kapott Bethlen Gábortól a Kálvin Intitutiója magyar fordításának ajánlásáért, tehát kétszer annyit, mint Rudolf királytól a Dictionariumért; több levélben leplezetlenül nyilvánul az öröm és vára-kozás, melylyel különösen a külföldiek Bethlen Gábornak Brandenburgi Katalinnal kötött házasságát nézték; egy levél olyan kassai kiadványt említ, a miről eddig nem tudtunk stb. De beszéljenek maguk a levelek.

I. Sz. Molnár levelei Camerariushoz.

1.

Hanau. 1624. márcz. 3.

Salutem in Christo Servatore et laetissimum communis exilii exitum praecor. Perscripsi sub exitu anni superioris ad nobilissimum Blareum, Vir Magnifice, Domine Camerari, patrone mi suspiciende, non caruisse pondere suo serenissimi Regis Friderici literas mea causa, ad illustrissimam materteram Honoviensis huius comitatus gubernatricem scriptas. Ea enim in maxima hac rerum caritate meam meorumque necessitatem XII. Imp. thaleris et tribus saccis frumenti levavit benignissimè, ac imposterum quoque suae erga me benignitatis spem fecit clementissimè. Postmodum die 23. Januarii allatae mihi sunt ex Ungaria literae, quibus me serenissimus Princeps Gabriel revocat in patriam, promittens se clementer de me prospecturum, nullumque aliud officium mihi injuncturum, quàm ut libris vertendis et edendis operam dem, additurum ad rem hanc mihi amanuenses: Esse iam in Transsylvania Albae Juliae typographiam commodam satis ad imprimendos libros necessarios, etc.

Haec est vocationis summa, quam perscripsi quoque Argentinam duobus meis magnis et dilectis compatribus Magnificis domino Brederodio

et domino Lingelshemio, qui eam ambo mihi gratulantur: ut etiam hîc alii fautores mei ambabus manibus arripiendam censent. Perplacet equidem vocatio, sed itineris pericula et longitudinem reformido et sumptus necessarii defectus me terrificat. Nam Princeps meus tantum XVI. aureos mihi misit hac vice, quorum pars iam exposita est ad necessaria, reliqui vix sufficient creditoribus. Migrandum erit cum conjuge et 4 liberis. Privignarum maximam, quae prius domino Brederodio, post dn. Lingelshemio famulata fuit Haydelbergae, hic elocavimus juveni calceario, caupensis nautae filio: mediam rapuerunt Bavari extra Heidelbergam, de qua nihil audivimus et an supersit, ignoramus. Privigna minima matri ancillatur, filiorum major duodennis, minor septenis est, filia in Ungaria nata prope novennis est. Hi sunt itineris gravamina et aliquanta supellex libraria. Viatici aliquanti spem jam fecerunt duo venerandi ecclesiarum ministri. Amplissimus dominus Brederodius svadet, ut hoc meum ad Principem Serenissimum Gabrielem migrandi institutum, scriptis ad Tuam Magnificentiam literis etiam Serenissimo Regi Friderico significem, quod hisce brevibus facio, Vir Magnifice, inter continuas operas typographicas. Nunc enim pluribus adhibitis operariis strenue cuditur Nostra Christiana Institutio Ungarica. In qua hodie correxî sectiones capituli XVI, libri 4-ti. Spero intra decendium finitum iri totum opus. Indices confeci, errataque noto, dedicationem scribere cras aut perendie incipiam Deo volente. Via quaenam mihi ineunda sit, nondum statuere possum. In nundinis proximis captabo consilium. Mercatores nostri navigandi commoditatem mihi commendant. Magnarius noster Abraham Wolf, affirmat, posse pro ventorum qualitate Amsterdamo per mare Balthicum, dierum 4. 5. 6. 7. 8. novem vel decem dierum spacio navigari Dantiscum; unde adverso flumine Vistula non deesse navigandi occasiones Craccoviam, quae urbs 20 tantum miliaribus distat à terminis Ungariae. Ingentes sunt ambages, quas tamen minus horresco, quam terrestris itineris sumtus et pericula. Navis enim aestivo tempore continuum est diversorium, ubi exiguo vivere licet. Fieri itaque poterit, Vir Magnifice, ut vos denuò visam in Hollandia animo meo dilectissima, et Illustrissimorum Ordinum opum pro itineris necessitate implerem: quemadmodum quum ibi versarer, mihi persvaserat vir eximiae pietatis et humanitatis dn. Joh. Van Berchen. Nisi diversum obtingat consilium in nundinis imminentibus. Audio Illustrem Comitem Turrensem adventare ad vos à Serenissimo Gabriele. Si quid mihi demandare forte velit Serenissimus Rex Fridericus apud compatrem Suae Maestatis conficiendum faciem fideliter. Bene et feliciter, Patrone mi sus[ci]piende, et festinae scriptioni et tamen vel quinquies interruptae ignosce benignè.

Hanoviâ 3. Martii 1624.

Vestrae Magnificentiae
Mitto pagellam occupationis meae specimen.

servus et cliens fidelis
Albertus Molnar.

Külczim: Viro Magnifico DN. Ludovico Camerario, Serenissimi Regis Boh. etc. Cancellario, Dno patrono suo suspiciendo. Hagam Comitibus Hollandae.

(Papirpecséttel.)

2.

Danzig. 1624. jul. 29.

Salutem in Christo Jesu et perennem felicitatem. Magnifice et Clarissime domine Camerari, mi fautor suspiciende. Mirabile et varium vitae meae et itinerum curriculum ipsemet ego miror maximè, et Ductorem profectionum mearum debitis laudibus concelebro. Haga Comitissae Hollandiae reversus Amsterdamum meae sarcina(e) maximam partem Bibliothecam Coloniae incognitam detineri à domino factore Johanne von den Enden: cui descriptionem dolii mei librarii et arcae meae claves mittere jussus sum: et dum intelligerem mea illinc non percepturum ante 4. hebdomadas, commoda navigatione trajeci in Angliam: unde cum nobilissimo domino Anstrutero legato regio redij Ultrajectum, tandem postridie ad meos Amsterdamum, hinc post 8-tiduum navi conscensa dierum 8. spatio pervenimus Dantiscum: ubi literas Serenissimi Regis Friderici nostri exhibui propraepaconsuli domino Johanni Speymanno orthodoxo, qui tunc in absentia praepaconsulis domini Bodeck Lutherani praesidis vice fungebatur: perendie ☉. reverso Bodeckio negotium meum in senatu in medium prolatum est, egressus dominus praeses Bodeck jussit ut supplici libello summam petitionis meae ipsi tradam, quam quum à me accepisset, reversus domum cum amica sympathias commemoratio(ne) dedit mihi nomine totius senatus, XX. thaleros, precans mihi felix et faustum iter, itinerisque successum optatum, simulque dixit mihi datum iri salvum conductum in epistolari forma, quem recte accepi in tempore. Porro quum appellarem et cl. dn. doctorem Georgium Pauli pastorem et professorem salutassem, hospitium mihi è vestigio praebeuit et familiae meae amicissimum: tandem à suis cògnatis opulentioribus honestum mihi solatium subinde impetravit. Tandem etiam domini Speymanni consulis gener dominus Petrus Henricus apud magnarios hujus loci 50. florenos mihi collegit, et ex suo quoque X. addidit. Hic dùm prope per 3 hebdomadas expecto navigandi occasionem, vix ulla dies abijt, quo non aliquid honorarii nobis contribueretur. Fruimur coenis prandiisque saepius hilarati opiparis, et piissimis votis fidelium Deo commendati, hodie vesperi vel cras summo mane Thuronium sumus navigaturi, literis commendaticijs instructi etiam ad Cracovienses. Plura addere nequeo, scribam Deo volente ex Ungaria prolixius.

Dantisco 29. Julii. 1624.

Tuus omni officio et fide
Albertus Molnar.

Venerabilis hospes meus pastor primarius dominus doctor Georgius Pauli professor Ss. Theol. in hoc illustri gymnasio officiose et amanter salutatur Vestram Amplitudinem et faustissimaquaque precatur.

Bene et feliciter vale, Vir Magnifice et saluta fautores meos quos nosti. Dominum Rumphium, dominum Mauritium secretarium, Philibertum Du boyss. Serenissimo Regi Friderico gratias immortales habeo pro commendaticijs: Sicubi ad Nobilissimum et pientissimum dn. Ruzstorfium

in Angliam scripseris ex me salutabis ipsum officiosè et amanter, ac significes me ejus monitorum fideliter memorem fore. Iterum vale, vir Maxime.

Külczim: Magnifico Amplissimoque DN° Ludovico Camerario, Serenissimi Regis Bohemiae Consiliario Intimo, domino fautori meo suspiciendo. Hagam Comitum Hollandiae.

(Papirpecsétel.)

3.

Kassa. 1625. apr. 1.

Salutem ab autore salutis domino nostro Jesu Christo.

Magnifice et amplissime Vir, scripsi Vestrae Magnificentiae per dominum Kostnerum, quem meas recte curasse spero, à quo item res nostras probe intelligere potuisti. Serenissimi Nostri Gabrielis consilia ipsemet novit et Deus. Ipsum in sanctis consilijs perpetuo constantem fore credo. Suae Serenitatis frater Stephanus Bethlen, filium secundo genitum Petrum in Germaniae academijs promovet, jamque Francofurtum ad Oderam mittit, per illustrem Baronem Lisztium. Commendavit hunc Petrum Serenissimus patruus etiam Electori Brandenburgico. Et propositum proficiscentium est Bresla Berlinum prius proficisci, postea diverti Francofurtum ad Viadrum. Ad hos postea Berlino Francofurtum migrantes illicque degentes, si quid ad me literarum exaraveris, recte percipiam Deo volente, et Principi meo transmittam monita tua ad Suam Serenitatem. Inclytus juvenis Petrus Bethlen, (frater Stephani, qui nobiscum Heidelbergae vixerat,) nudius 4-tus ad nos venit, hodie Deo volente abibit Leutschoviam versus et Silesiam. Per eius familiares hasce Berlinum mittam, ad dominum Füsselium, ut perferri ad te procurentur. In Austria Ferdinandus pergit in persecutione Evangelicorum, ex Germania miranda ad nos nuntiantur, de motibus ingentibus. Hodie audivimus referentes nonnullos, rumorem spargi de Electo Franciarum Rege in Imperatorem Romanorum. Utinam Deus exaltaret Fridericum Suum in Imperatorem Germanorum! Voluntas Domini fiet. Bene et feliciter Vale Vir magnifice et saluta ex me Amicos nostros et fautores in loco exilij tuj degentes, et Lugduni Batavorum. Scripsi raptim Cassoviae 1. April. 1625.

Vestrae Magnificentiae
addictissimus
Albertus Molnar.

Külczim: Viro Magnifico DN. Ludovico Camerario, Serenissimi Regis Bohemiae Friderici etc. Consiliario intimo, fautori meo magno et plurimum colendo Hagam Comitum vel ubi fuerit.

(Papirpecsétel.)

II. Sz. Molnár levelei Leodiushoz.

1.

Thorn. 1624. aug. 23.

S. P. Magnifice et Amplissime Vir, scripsi Dantisco vestrae Amplitudini prolixius, unde (laus rerum Domino) salvus et incolumis, cum meis perveni Thorunium: ubi venerabilis domini Superintendentis Johannis Turnovii eam quam mihi praedixisti luculentam experior benignitatem. Sed quemadmodum ipsius Reverentiam occupationes in scribendo breviores effecerunt, sic et ego addere plura nequeo.

Bene et feliciter vale unâ cum tuis charissimis et saluta ex me fautores meos.¹

Albertus Molnar
qui te suspicit.

2.

Kassa. 1625. jan. 29.

Salutem in autore salutis Jesu Christo.

Magnifice et Amplissime Vir, Domine et fautor amande. Literas tuas, quas ad dominum doctorem direxisti mihi perferendas, nondum accepi; sed domino Kostnero traditas mense 8-bri, heri recte accepi sub vesperam; responsioni hanc horam destinata matutinam; qua ecce admonet me filius antistitis ecclesiae Ungaricae Cassoviensis, ut statim apertis urbis portis, cum ipso ad Synodum Szepsini hodie celebrandam me conferam. Doleo me respondendi tempore exclusum, hoc tantum breviter adscribo; Me Serenissimo Principi(pi) meo multis rationibus svasisse, ne blanditijs Ferdinandinorum se patiatu dirimi à confederatione Evangelicorum; in posterum quoque instabo, ut quod sua sponte facit, nunquam desit orthodoxi Principis officio fido.

Manifeste deprehendi ejus Serenitatem vehementer laetari et foedere unitorum Evangelicorum et prospero successu Hollandorum apud Indos. Plura scribere non possum; Viva epistola nostra erit dominus, Johannes Costnerus, qui de nostro statu Vestram Amplitudinem edocebit. Mihi petenti Serenissimus Noster Cassoviae locum assignavit; Annum salarium floreni 170. Cubuli frumenti 32. Vini dolio 4. Agni 10. porci 2. panni Anglicani ulnae 12. ligni plaustra 10.²

¹ Molnár e rövid izenetet Turnovius Jánosnak Leodius hágai kir. cancellariai quaestorhoz intézett levele végére írta, mely után Turnovius ismét írt néhány sort. A Turnovius levele elején Molnárra vonatkoznak a köv. sorok: »Literae Haga Comitiss missae 1/11 April. mihi ante octiduum sunt traditae. Commodum vero accidit, quod ad nos Torunium dn. Albertus Molnar sub idem tempus advenerit, ad suos remeaturus, qui Leodium quaestorem Ludovicum Camerarium esse asserere non dubitavit.«

² V. ö. B. Radvánszky B. Udvartartás és számadáskönyvek I. 197. 203. l. és az Országos Levéltár »XIX. csomó 125/d. 1.«-ben levő kiadatlan okmányokkal.

Pro dedicatione Calvini Ungarici honorarii accepi florenos C. et aliorum procerum patriae sentio in dies benignitatem et munificentiam. Proxima occasione plura scribam Deo volente. Saluto amicos Hagienses, dominum Rumpfium, dominum Mauritium secretarium et alios. Bene et feliciter vale, Vir Magnifice, una cum tuis Charissimis.

Cassoviâ. 29. Anno 1625.

Vestrae Magnificentiae addictissimus
Alb. Molnar.

Külczim: Amplissimo Magnificentissimoque domino Leodio Quaestori, Amico et fautori meo plurimum dilecto. Hagam.

(Fekete pecsét nyomaival.)

3.

Kassa 1625. febr. 4.

S, P. Amplissime et Magnifice domine, fautor mi observande.

Quum tuas ²¹/₁₂ octobr. 1624. scriptas mihi reddidisset 28^{uo} superioris Januarij, postridie Reverendus dominus Petrus Alvinci primarius pastror Cassoviensis ecclesiae Ungaricae me secum bene mane curru suo Szepsinum oppidum 3. hinc miliaribus dissitum abduxit ad Synodum particularem, ubi prope 100. pastores orthodoxi erant congregati, ad ordinationem aliquot ministrorum ecclesiae et decisionem nonnullorum casuum conjugalium, ad censuram item morum et laborum scholasticorum. Isthinc quadriduo post reversus, Dn. Costnerum adhuc hic reperi, ex cujus sermonibus crebris percepi, literas quoque Tuas priores, quas D. Turnovio dedisti curandas non periisse, sed pervenisse ad manus Serenissimi nostri, qui eas detinuit una cum signis res arcanas scribendi. Imo has etiam more suo, quas postremas ad me dedisti resignatas ad me misit. Serenissimi nostri consilia secretissima sunt, quae ne vaferrimi quidem Lojolitae Austriaci exhaurire queunt. Aegre tulit nonnihl, quod cum familia mea in Transsylvaniam non sum ingressus, sed praesagivit mea mens

CONVENTIO Clarissimi viri Alberti Molnar de Szencz etc. à die prima Decembris Aõ: 1624: computanda.

Numerabuntur eidem in paratis lor. Hungar.	No: fl. 170 //
Cubulos Tritici Cassovienses habebit	No: 32:
Vasa vini Geöncziensia	No: 4:
Sues mactabiles	No: 2:
Agnos	No: 10:
Panni Failondis Ulnas	No: 12:
Ligni plaustra	No: 10:

Praeterea liberum eidem hospitium, in libera Civitate nostra Cassoviensi designabitur.

Et hanc quidem annualem pensionem, cum Camera nostrae Cassoviensis Perceptor, tum bonorum nostrorum cis et ultra Tibiscanorum Praefectus, angariatim praelibato Alberto Molnar assignare et reddere debeant.

Gabriel m. p.

(P. H.)

hospitij Albensis incommoditatem: Unde auditis meis rationibus ad tempus mihi locum et salariolum Cassoviae destinavit, ubi nunc demum dispono Bibliotheculam meam. Alias plura Deo volente perscribam. Iubens ad dilectissimos meos fautores et benefactores etiam Argentinenses, Hanovienses. De rebus nostris viva erit nostra apud vos epistola fidiissimus dominus Kostnerus, cui has trado. Bene et feliciter vale Vir, Amplissime et fautor animo meo charissime, una cum tuis charitatibus. Scriptum Cassoviâ 4. Febr. 1625.

Tuus omni fide et Studio
Albertus Molnar.

Saluto officiose amicos Magnos, et praecipue Dn. Philibertum Du Boys. etc.

Külczim: Amplissimo Magnificoque domino Leodio Quaestori, etc. fautori meo plurimum dilecto. In Belgio Amsterdami, vel ubi fuerit.

(Fekete peccét nyomaival.)

4.

Kassa 1626, márcz. 15.

Salutem plurimam et perennem Christi benedictionem ac gratiam sempiternam. Quamvis sciam Vir Magnifice Domine Camerari, tibi jam rationes res nostras intelligendi expeditiores innotuisse et suppetere, meis literis, nolo tamen committere, ut vestri oblitus videri possim, gaudij mei scintillam ad vos jaculabor et ad nobilissimum dominum Ruszdorfium, qui primus mihi nominavit et vovit Serenissimo Sponsam Brandenburgicam Serenissimam, quâ jam (Dei gratiâ) potitur Serenissimus Gabriel et gaudet in utroque regno natio orthodoxa. Finitis svaviter nuptijs Serenissimis, ante octiduum in regio sacello Serenissima Sponsa, seipsam gratam Deo declarans, cum ardenti pietatis zelo sacram Domini Coenam accessit ritu orthodoxo administratam per Cl. doctorem Wolfg. Crellium in Academia Viadrina theol. professorem et per futurum ecclesiasten aulicum Serenissimae Principis Catherinae, dominum Hagium Honoviensem. Quibus utinam adlubescat Transsylvania. Faxit Iehova ter maximus optimus, ut faustissimus adventus sit omen literaturae in nostra quoque patriae propagandae juxta illud Pontificium:

Sancta Catharina,
Juva nos in doctrina!

Serenissimus sponsus cum Sponsa Serenissima et hospitibus affinisque Marchicis ante septiduum hic profecti jam finibus Transylvanicis appropinquare creduntur. Festum Paschatis Albae Juliae celebraturi, fortassis et Saxonicas ibidem urbes visitaturi. Tandem Deo volente circa festum Pentecostes hâc in Marchiam cognati et Marchiaci hospites in patriam revertentur et ad vos nuptiarum exitum ac itineris perscrituri. Serenissimi Regis Friderici restitutionem et exaltationem omnes ubique exoptant orthodoxi. Fratrum Serenissimi nostri Petrum Bethlen, ex academia Marchica ad

Batavos profecturum spero. Saluto reverenter Magnificum Dn. Plessenium, Blarerum, Serenissimorum Regulorum praefectos in academia Lugduni, Rev. dominum Altingum, Festum Hommium, cujus chartaceum munus, Catechismum Maraixianum Maleaca Indica et Belgica lingua Hagae impressum Ungarice typis evulgavi hic Cassoviae. Clarissimo domino doctori Rumpfo, reverendis Hagiensis ecclesiae ministris, à quibus beneficium accepi, ago gratias etiamnum et salutem nuntio ut et Amplissimo domino Philiberto Duboys, domino Laurentio de Syllae Iurisconsulto fiscali ord. Conf. Necnon pientissimo viro Vinnaeo scholae rectori in me benignissimo.

Bene vale Vir Magnifice et subitae scriptioni ignosce.

Cassâ. XV. Martij. Anno. 1626. Tuus ille Alb. Molnar.

Külczim: Amplissimo ac Magnifico DN. Ludovico Camerario, Regis Friderici etc. Cancellario, domino fautori meo magno plurimumque dilecto. Hagam Comitum Holland.

(Papirpecséttel.)

A müncheni udv. és állami könyvtár kéziratárából közli

DR. DÉZSI LAJOS.

ZVONARICH ISTVÁN ÉS GYÖRGY ÉLETÉHEZ.

I.

Generosi ac circumspecti viri, domini observandissimi etc. Salutem et paratam semper nostri commendationem. Kivánsági szerént való sok jókkal áldja meg Isten Kegyelmeteket.

Kegyelmeteket egész városul levelünk által jámbor szolgánk instantiájára kelleték requirálnunk, kinek minemü gondviselő ügye legyen erőtelen atyafiai mellett Kegyelmeteknél, maga leveléből bőségesen eszébe veheti, nem szükséges, hogy mi declaráljuk Kegyelmeteknek és talám (!) nem is volna szükséges minékünk Kegyelmeteket ez dologban megkeresnünk, tudván azt, hogy Kegyelmetek az közönséges igazságot és törvény folyását considerálván, vagy csak a maga levelére is kedve szerént való választ veszen Kegyelmetektől, de ex superabundanti, hogy mind jámbor szolgánk kivánságának eleget tegyünk s mind penig Kegyelmetektől az mi reánk való tekintetből hamarébb való kívánatos válasza legyen ez jámbor szolgánkknak, ugymint Zvonaricz Györgynek, ugy kelleték irnunk mellette Kegyelmeteknek, elhívén tökéletesen, hogy ha valami exceptióval diferálhatna is Kegyelmetek más időre kezétől plenipotentiariusoknak kiadni azt az testamentom szerént való pénzt és marhát, az mi vagyon, de az mi tekintetünkért Kegyelmetek nem fogja azt csele-